et timore et tremore multo fui ap
vos. Et sermo meus et predicatio mea n
in persuasibilibus humane sapientie verbis, s
in ostensione spiritus et virtutis, ut fi
non sit in sapientia hominum, sed in virtute
Sapientiam autem loquimur inter perfecto
sapientiam vero non huius seculi, neque prin
huius seculi qui destruuntur, sed loqu
dei sapientiam in misterio que abscon
quam predestinavit deus ante se
in gloriam nostram, quam nemo principu
seculi cognovit. Si enim cognovis
nunquam dominum glorie crucifixissen
sicut scriptum est: quod oculus non vid
nec auris audivit, nec in cor hominis
que preparavit deus hiis qui diligunt
Nobis autem revelavit deus per spiritum
suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam pro
dei. Quis enim scit hominum que sunt
hominis nisi spiritus hominis qui in ipso est. Ita et que
dei sunt nemo cognovit nisi spiritus
Nos autem non spiritum huius mundi a
sed spiritum qui ex deo est, ut sciamus
que a deo donata sunt nobis. Que et
loquimur non in doctis humane sapientie v
sed in doctrina spiritus, spiritualibus spiritualia

AN POLITICI HORVM TEMPORVM IN NVmero Christianorum sint habendi.

ORATIO ACADEMICA.

AVTHORE THOMA Stapletonio Anglo, S. Theologiæ Doctore, &c.

IMPRESSVM
Anno post Christum natum.
M. D. CVI.

AN POLITICI HORVM TEMPORVM IN NVMERO Christianorum sint habendi.

Oratio quodlibetica Duaci habita.

QVod Ezechias Rex Iuda post Dauidem optimus, in summa rerum omnium calamitate, quum Sennacherib Rex Syriæ cum exercitu potentissimo Hierosolymã gravi obsidione premeret, ejusque Dux Rabsaces audiente populo Deũ blasphemaret, dixit. *Dies tribulationis & increpationis & blasphemiæ Dies iste, venerunt filii usque ad partum, & vires non habet parturiens*; hoc in Ecclesiæ ac Religionis Christianæ gravissima hodie perturbatione 4.Reg.19

 dicen-

dicēdum mihi & exclamandum, videtur. Nam ut nullus acerbior corporis dolor, aut cruciatus vehementior est, quàm is quem sustinet mulier parturiens & vires pariendi non habens; ita nulla vel Reipublicæ, vel Ecclesiæ, vel civilis, vel Ecclesiastici corporis, acrior afflictio aut casus durior esse potest, quàm multis maximisque malis gravidam ac fæcundam esse & in illis depellendis ingentes quotidie labores perferre, quasique jam in proximo eorum liberationem parturire, nec tamen aliquādo parere, aut malorum exitum invenire posse. *Mulier quidem cum parit* Ioan. 16. *tristitiam habet, quia venit hora eius.* Sed prolem mox enixa, *iam non meminit pressura propter gaudium, quia natus est homo*

homo in mundum. Sic (inquit Christus) *vos contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Ecclesiæ calamitates & persecutiones ac vexationes acerbæ, quas partui muliebri Saluator accomparat, graues haud dubiè bonorum cruces sunt, multisque vulneribus & plagis, multis contumeliis & ludibriis Christi corpus mysticum afficiunt, *dies sunt tribulationis & increpationis & blasphemiæ.* Sed dulcis est & consolatione plena Christi promissio: *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Veniet celeriter tribulationum finis, transibit tempestas, redibit serenitas. Et sic quidem hactenus omnes Ecclesiæ tribulationes, omnes hæresum tẽpestates, quantumcumq; acerbæ, quantumcumq; va

lidę & potentes, finem tamē & exitū celerem acceperūt: Vt cessante sub Constantii mortem Ariana persecutione, dixit S. Hieron: *Periclitabatur nauicula Apostolorum, vrgebant venti, fluctibus latera tundebantur, nihil iam supererat spei. Dominus excitatur, imperat tempestati, bestia moritur, tranquillitas rediit.* Atqui hodiernæ hæreses, horum temporū diuturnæ, variæ, & per totum ferè Christianam Europam calamitates, medica manu iam dudū illis apposita, mediis multis & magnis ad curandum adhibitis, curari hactenus nō potuerunt. Venerunt filii vsq; ad partum. In proximo affulgebat serenitas, pax, liberatio: sed vires non habuit parturiens. Corpus Christianæ Reipublicæ, parere non potuit. Ex alia aliqua

In dial: aduersus Luceferianos.

Horū temporum calamitas.

aliqua cauſa ſic debile & infirmum factū eſt, vt in partu ſemper laboret; nec eniti vnquam queat & niti ſemper debeat, nec prolem educere nec à parturiendo ceſſare; nec labores ſuperare, nec laborare defungi valeat. Quæ tandem huius tantæ tamque atrocis calamitatis cauſa eſſe poteſt? Quid tandem Reipublicæ Chriſtianæ corpus ita debilitauit, vt ſemper parturiens parere nequeat? in perpetuo gemitu exitum dolorum non inueniat? perpetuo in armis perpetuo in acie ſtans, nec in pugna victoriam, nec pugnandi finem poſt tot exantlatos labores, poſt tam glorioſa ſuorum certamina, poſt tot fuſos ac proſtratos hoſtes, adhuc conſequi queat? Dicam apertius.

Vnde factum est vt contra hæreſes & hæreticos ab annis iam ſexaginta, & Catholicorum ſcriptis acerrimè decertando, & magnorum Principum ſtudio, conſiliis, armis fortiter dimicando, imò iam pridem toti quaſi Catholicæ Eccleſiæ copiis contra hoſtē in aciem productis, maximam vim atque impreſsionem faciendo, nihil adhuc in cauſa prouectum ſit? in nullo leuari parturiens potuit? ſed contrà in ſuo robore ac vigore hæreſes permaneāt? imò quod turpe eſt dicere, & taceri non debet, de inanibus Catholicorum conatibus hæretici triumphant? Quid tandem aliud, niſi quia *Rachel plorat filios ſuos, & noluit conſolari*, id eſt non potuit, *quia non ſunt*. Non ſunt filii, qui putantur eſſe; Non ſunt

Hæreſes cur adhuc proficiunt & creſcūt.

Matth. 2.

Catholici, qui dicuntur tales. Nisi quia, vt olim caput, sic nunc corpus dicit. *Qui manducat mecum panem leuabit contra me calcaneum suum,* quia habet suos Iudas collegium Apostolorum: quia (vt Apostolorũ maximus de se ipso dixit) *periculum est in falsis fratribus,* imo non periculum, sed pernicies facta est à falsis fratribus: Nisi quia clamor ille veteris Prophetæ auribus nostris iterum ingeminatur, *Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.* Denique nisi quia propter tam longas & graues persecutiones denigrata Ecclesia Catholica, jam *consideratur vt fusca, & iam filÿ eius pugnauerunt contra eam.* Dicam apertius: Non alia horum malorum causa, quàm falsi, ficti & simulati Christiani, qui

Ioan. 13.

2. Cor. 11.

Esai. 1.

Cant. 1.

 nec

nec Christiani nec Catholici (quum vtrumque egregiè simulent) sed politici sunt. Politicorũ & nomine gaudent, & factis exultant, & virtutem profitentur. Politici & ciuiles homines, elegantes & suaues, prudentes & cordati, ipsam sacrosanctæ religionis causam, politicè & ciuiliter tractari volunt, aliorum rusticam simplicitatem irrident, qui ad quemuis falsæ doctrinæ sonum, ad quemlibet violatæ religionis motum, zelo statim exardescunt, & viis omnibus ac modis integritatem fidei illæsam & illibatam conseruare, contendunt.

Politicorũ iudicia, voces, axiomata.

3. Contrà enim Politici isti, multa esse tempori concedenda, multa esse pro tempore disimulanda; pu-

blicæ pacis cauſam ante 2.
oculos ſemper habendam,
non eſſe irritandos crabro-
nes; hæreſes iſtas vel debel- 3.
lari non poſſe, quia poten-
tes; vel ex animis hominum 4.
euelli non poſſe, quia perti-
naces hæretici ſunt; vel tan-
tis conatibus impugnari nō 5.
eſſe neceſſe, quia de rebus
leuiculis contenditur; vel
poſtremo tanti illas non eſ-
ſe, nec tantum vniuerſum
religionis curam nobis in-
cumbere, vt pacem publi-
cam, communeſque fortu-
nas, vel ad illas reprimēdas,
vel ad hanc conſeruandam,
periclitari ſinamus. Quin-
imò prudentis ac politici vi-
ri eſſe, patriæ & ciuium ſuo- 7.
rum commodis ante omnia
proſpicere, ſuis rebus con-
ſulere; Principum placitis
ſeſe accommodare, inuidias
aut

9. aut ſimulates ſuperfluas re-
ligionis cauſa non ſubire: il-
10. lam curam vel ſolis Clericis
ac Monachis, vel etiam ipſi
11. Deo relinquere, qui ſuas in-
iurias ſi quas per noua hæc
dogmata acceperit, ipſemet
vlciſci ac vindicare, valeat.
12. In ſumma, id agendum, ne
quid res vel publica vel pri-
13. uata, detrimenti capiat: ſu-
am ſibi cuiuſque conſcien-
tiam, abſque iſtis certamini-
bus ſanam ac ſaluam, eſſe
poſſe. Habetis Politicorum
hodie hominum voces, prin
cipia, axiomata, quibus illi
confiſi, Religionis cauſam
negligenter tractant, labo-
rantis Eccleſiæ patrocinium
turpiter deſerunt, fidem Ca-
tholicam hoſtibus nefariè
produnt, & penitus profli-
gandam, relinquunt.

Quæritur iam an huiuſ-
modi

modi homines in numero Christianorũ habendi sunt? Sed quid ego hic quæro? aut rem per se clarissimam cur in quæstionem voco? Iam enim mecũ quotquot Christiani hic estis, quotquot Christum Redemptorẽ nostrum non verbo tantum confitemini ad iustitiam, sed & corde creditis ad salutem, hos homines nõ Christiano tantum gloriosissimo nomine non censendos, sed nec vlla prorsus in Deum aut Deos religione teneri, prorsus iudicatis. Ita sane arbitror, nec aliter affectos esse verè Christianos arbitrari possum. Cæterum tamen vt hoc iudicium vestrũ ac nostrum quám certa ratione nitatur, clarius fiat; vt hoc hominum genus quâm sit prę omnibus quos nunc ter-

ra su-

ra sustinet execrabile, certius innotescat; vt ab huiusmodi hominum blandis sed impiis vocibus atque consiliis, tanquam â Sirenũ cantibus maturè quisq; sibi caueat; ac demum vt ipsi tales politici (si ad eorum forte aures hæc nostra aliquando perueniat oratio) ad meliorem ac saniorem mentem reducantur: hæc tria hoc loco ac tēpore, de nostri temporis politicis quales suprá descripsimus, inquiremus.

Distributio.

1. Primum an Christiani nominis vim ac rationem vllo sensu tenere posſint. Secundo

2. quales & quantæ sunt Reipubl. Christianæ pestes, & religionis hostes, ideoque ab omnibus execrandi etiam eorum iudicio, qui falsam religionem tenuerunt.

3. Tertio ac postremò, quibus demum

demum Technis ac fucis (non enim argumenta dicam) suam extremam impietatem probabilem reddere contendunt. Quæ tria dum facio, vos quæso Auditores humanissimi, diligenter quod facitis, attendite.

Non est hic opus præfari, politicos à nobis aut politiam in vniuersum non reprehendi, vel ab omni politia & ciuili prudentia Christianam religionē alienam esse, velle nos dicere. Iam enim politicos nostros tales descripsimus, non qui rei priuatæ aut publicæ curā gerunt (quod & optimi Christiani faciunt) sed qui rei priuatæ ac publicæ curam, religioni anteponunt, adeoque religionem ipsam nullo loco ducunt, adque hinc tam perspicuæ impietati politiæ, & pru-

& prudentiæ ciuilis, honestiſsimam veſtẽ imponunt, vt politici dicãtur qui athei ſunt; vt ciuiles videantur, qui ciuitates & totas reſpublicas ſua præpoſtera ciuilitate perdunt, vt prudentes & elegantes habeantur, quibus nihil eſt ſtultius, nihil inciuilius: niſi fortè aut prudens ille habendus ſit, qui vt ſuis fortunis parcat, omnium ſuorum & fortunas & ſalutem perdit, aut ille ciuilis & elegans videri debeat, qui ſuauiter canens & amicè blandiens ſuos ad patibulum aut præcipitiũ ducit. Sed nunc ad ſingula à nobis propoſita, veniamus.

Propoſitio. Dicimus primo loco huiuſmodi politicum qui Religionis cauſam atq; defenſionẽ, ſuis fortunis aut commodis, vel etiã Reipublicæ

paci

paci & incolumitati poſtponit, imò qui eam omnibus rebus non anteponit, Chriſtiani hominis loco habendum non eſſe. Quid enim I.
quęſo hominem Chriſtianũ ab ethnico diſcernit, niſi nominis Chriſti fides, cultus, religio? In quo enim nulla eſt Chriſtiani nominis religio, cultus, reuerentia, amor, hunc religionis Chriſtianæ nomine ab aliis non Chriſtianis diſcerni quiſquã exiſtimabit? At quæ eſt tandem in illo homine Chriſtiani nominis religio, quis cultus, qui amor, quæ reuerentia; qui adeo illud non colit, non amat, non reueretur, vt res quaslibet ei anteponat, vt ad eius defenſionem, nec pedem mouere, nec oboli diſcrimen ſubire, nec vel vultum, aut verbum

aſperum, ſuſtinere velit; vt eam denique nullo loco ducat, totamq; eius curam vel in Dei prouidentiam, vel in ſolos togatos homines, ſi tamen & in illos rejiciendam iudicat? Mali ſanè Chriſtiani & peccatores, qui vitam turpiter ac flagitioſè ducũt, hoc certè Chriſtiano nomine indigni ſunt, & ad illos Chriſtus dicturus eſt, *neſcio vos*. Cæterum tamen, iſti nõ niſi practicam adhuc virtutis cognitionem amiſerunt, & fide ac religione imbuti quod verbo tenent, factis negant. Atqui Politici iſti non practica tantum, ſed & ſpeculatiua virtutis cognitione exciderunt. Non ſolum religionis vſum & praxim maleuiuendo, ſed & ipſam in ſe religionem malè ſentiendo, abjecerunt. Nullam enim

enim ille religionem tenet,
qui nihil ad ſe attinere reli-
gionem putat. Quare de il-
lorum numero ſunt: de qui-
bus Propheta Regius ait. *Di-*
xit inſipiens in corde ſuo, non eſt
Deus. Et videte obſecro an
non ita ſe res habeat. Ma- 3.
gno cum applauſu vox illa
apud Comicum excepta eſt.
Homo ſum, humani nihil à me a-
lienum puto. Si ergo homo
non eſt, qui humani aliquid
à ſe alienum putat; ſi ho-
mo non eſt, qui reliquo-
rum omnium hominũ ve-
lut μισάνθρωπος curam &
affectionem animo omnem
depoſuit; ſi homo non eſt,
qui humanitatem exuit:
qui tandem obſecro Chri-
ſtianus erit, qui religio-
nem Chriſtianã (vnde pro-
prie Chriſtiani ſumus) nihil
ad ſe pertinere, ſtetur, cada-

tur, existimat, qui omnem religionis curam, animo eiecit suo, ideoque & omnem Christianitatem exuit:

4. **Lactantius in libro de ira Dei.**

Dixerat zeno stoicus, iram non esse in Deo, vt puniat malefacta, veluti indignam Deo paßionem. Assumpsit Epicurus. Si ira in Deo non est, nec gratia etiam aut beneficentia vlla, atque ita nec mala puniens, nec benefacta remunerans, rerum humanarum curam non habet, sed seipso solo, beatus est. Ex hac Stoicorum propositione & Epicuri assumptione, conclusit Diagoras & Theodorus Cyrenæus: Ergo non est Deus: Si enim nullo affectu mouetur, quod intelligibili natura est proprium, prorsus non est. Hæc apud Lactantium illi. An non verò & eadem inductio, nostros quoque Politicos concludit Atheos? Aiunt illi. Zelus iste & feruor religionis hominē

ciuilem

ciuilem ac politicũ non decet. Sublato zelo quem vel in paucos rejiciunt, vel ab omnibus animo deponi volunt, cura omnis & affectio religionis tollitur. Concludit ergo apud se Politicus. Zelus religionis, furor & amentia est. Cura eius & affectio, inane quid & superfluum est. Nihil ergo est hoc totum quod religio vocatur. *Magisq; ad morem, quam ad rem pertinere iudicanda est; & illam sapiens seruat tanquã legibus iussam, non tanquam Deo gratam*; sicut olim Seneca, virtutis moralis cultor egregius, sed Senator in hac parte politicus, de Romanorum religione quam in templo cum aliis colebat, sed animo contemnebat, dixit. Pari ergo Reipub. (aiunt isti) præsentibus commodis & emo-

Apud Augustin. de Ciuit. Dei *lib. 6. c. 10.*

lumētis proſpiciendum eſt: valeat religionis cauſa, quantum valere poteſt. Siue rectè ſiue ſecus ea colatur, quid ad nos? *Imò* (ut Scæuola Pontifex olim aiebat) *expedit falli in religione ciuitates, quia non niſi ad homines in metu quodam & officio continendos, illam introductam eſſe, iudicandum eſt.* Tales ſuo tempore in Romana Repub. Politicos deſcribit Auguſtinus, qui ne Chriſtianæ religionis ſanctiſsimo iugo ſubderentur, & vt ſuis cupiditatibus laxas habenas darent ad omnem religionis contemptum & Atheiſmum adducti fuerunt.

Vbi ſuprà li.4.c.27.

Hæc enim erant eorum voces: *Tantum ſtet* (inquiunt) *tantum floreat copiis referta, victoriis glorioſa, vel quod eſt falicius, pace ſecura ſit Reſpub. Et quid ad nos? Imo ad nos magis pertinet ſi diui-*

August. de Ciuit. Dei lib.2.c.20

*si diuitias quisque semper augeat, quæ quotidianis effusionibus suppetant. Populi plaudant non consultoribus vtilitatum suarum sed largitoribus voluptatum. Non iubeantur dura, non prohibeantur impura. Reges non curent quam bonis, sed quam subditis imperent. Quid aliena vitæ potius, quam quid sua quisque noceat vitæ legibus aduertatur. Nullus ducatur ad Iudices, nisi qui alienæ rei, domui, saluti, vel cuiquam inuito, fuerit importunus aut noxius. Cæterum de suis vel cum suis, vel cum quibuscumque volentibus, faciat quisque quod vult. Opipara conuiuia frequententur, vbicuique libuerit & potuerit, die noctuq; ludatur, bibatur, vomatur, diffluatur. Et ille sit publicus inimicus, cui hæc fælicitas displicet. Illi habeantur Dij veri (*illorum *sit* vera religio*) qui hanc adipiscendam populis procurauerunt,*

adeptamq; seruauerunt. Colantur vt voluerint, ludos exposcant quales voluerint. Tantum efficiant, vt hinc fælicitati nihil ab hoste, nihil à peste, nihil ab vlla clade, timeatur. Hæc illi apud Augustinum. Hic est veterum Politicorũ Atheismus, nostro nunc tempore, non secus quam veterum hæresum cataclysmus ab orco reuocatus. *Colantur dÿ vt voluerint,* aiebant illi. Obtineat religio quæ potest, aiunt isti. *Illi habeantur Dÿ veri, qui fælicitatem temporalem procurant,* aiebant illi. Illa habeatur vera religio, in qua fæliciter & affluenter viuamus, aiunt isti. *Non curent Reges quam bonis, sed quam subditis imperent,* aiebant illi. Non curent Reges Christiani, quam bene Christianos, sed quam obedientes, habent subditos, aiunt isti.

Politicorũ hodie voces veterũ paganorũ vocibus conformes

Quid

Quid alienæ vitæ potius quã quid ſuæ quiſque noceat, legibus aduertatur, aiebant illi. Quid pacem publicam lædat, nõ quo conſcientia aut religione lęſa quiſque ſibi noceat, leges diſpiciant, aiunt iſti. *Ille demum ſit publicus inimicus, cui hæc fælicitas diſplicet*, aiebãt illi. In illum demũ vel arma publica, vel iuſtitiæ gladius concitetur, qui Reip. fælicitatem temporalem perturbat, aiunt iſti. Sic vt illos olim perditiſsimos homines, ita noſtros hodie politicos, vitæ licenſioſæ libido, ad religionis neglectum, neglectus ad contemptum, contemptus ad Atheiſmum, perduxit.

Sed de his hominibus, noſtriſq; demum politicis, quæ eſt tandem S. Auguſtini ſententia? *Quis* (inquit) *hanc Rempubl: ſanus non dicam. Roma no im-*

Auguſtini de politicis ſententia.

Ibidem. *no imperio, sed domui Sardanapali, comparauerit? qui quondam Rex ita fuit voluptatibus deditus, vt in sepulchro suo sibi scribi fecerit, ea sola se habere mortuum, quæ libido eius etiam cum viueret, hauriendo consumpserat. Quem Regem, isti si haberent sibi in talibus indulgentem, nec in eis, cuiquam vlla seueritate aduersantem, huic libentius quam Romani veteres, Romulo templum & flamines, consecrarent.* Hæc ille, Et quis ignorat Politicos hodie nostros Sardanapalo potius alicui, & voluptario principi, quique vt omnem exerçet, sic nullam in suis libidinem compescat (vt hodie in Anglia Elisabetha) nuperrimeque in Francia Henricus Valesius libētius seruire, quâm verè Christiano atque Catholico Regi, Religionis vindici iustitiæ assertori, & prisca

priscæ virtutis rigido cultori, obtemperare? Et hæc quidem illorum est non solum à vera, sed & ab omni Religione aliena, sententia.

At audi ô Politice Christianorum hominum voces, & vide an Christianorum in numero haberi debeas? *Ego si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem*, ait vas electionis. *Oportet Deo magis obedire quã hominibus*, ait Princeps Apostolorum. *Nolite timere eos qui corpus occidunt, & postea non habent quod agant*, ait Apostolorum magister, Princeps Pastorum, Christus ipse. O voces Politicis nostris execrabiles: qui non nisi hominibus placent, neglecto Christo; non nisi hominibus obediunt, contempto Deo; non nisi homines

Gal. 1.

Act. 5.

Luc. 11.

mines timent, timore Dei abiecto: qui vt hominibus placeant, vt Iesabeli obediant, vt malis Principibus se accommodent atque conforment, veluti *canes Regij* (sicuti Aristippum insignem Politicum vocauit Diogenes) vt vxorem, liberos, familiam, ad momẽtum temporis incolumes cõseruent; religionẽ, fidem, cultumq; Dei vniuersum & despectui habent ipsi & pessum ire penitusque profligari, permittunt. *Ex Principibus multi crediderunt in Christum* (ait D. Ioannes) *sed propter Pharisæos, non confitebantur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.* Tales hodie Principes nostri politici sunt; qui vt in Republ. principatum vel obtineant vel conseruent, religionem quam

Laert. in Aristippo.

Ioan. 13.

corde

corde credunt, ore confiteri erubeſcunt. Sed o homines nihil minus quam Chriſtianos qui nec Apoſtolorũ Chriſti, nec ipſius Chriſti voces ſanctiſsimas ſuſtinẽt, ſed omni quo poſſunt conatu illis cõtradicunt. An non vero Chriſto per omnia non contradicunt; Videte ergo quot modis id faciunt. Dicit Chriſtus. *Reddite Cæſari quæ ſunt Cæſaris, & Deo quæ ſunt Dei.* Contradicunt iſti Demus omnia Cæſari, omnia Principibus, omnia præſentium rerum oportunitati. Deo nihil demus; ſed ſi quæ ſunt Dei ipſi Deo curanda relinquamus. Dei cultum, Dei religionem, curent alii qui volunt. Nihil ea ad nos pertinent. Dicit Chriſtus. *Primum quærite regnum Dei, & hæc omnia,* (quæ ad cibum & ve-

Politici Chriſto contradicunt.

Matth. 22

Matth. 5.

ſtrum ad victum & amictum pertinent) *adijcientur vobis.* Contradicunt iſti. Primum & ante omnia corporis, familiæ, ciuitatis, ac Reipubl. noſtræ, curam agamus. Ad regnum Dei quod attinet, quærant alij. Cœlum cœli Domino: terram autem dedit filijs hominum. Nec primò nec poſtremò regnum Dei quæremus, niſi primum & ante omnia de pace, de incolumitate, de florenti Reipub. ſtatu, nobis conſtet. Iterum dicit Chriſtus. *Pacem* Ioan. 14. *meam do vobis, pacem relinquo vobis. Non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Pacem cum Deo, pacem in Deo, pacẽ in conſcientia bona, pacem cum proximo, ego relinquo vobis. Non mundi pacem, non vitæ præſentis gaudia, non rerum terrenarum effluentiam,

tiam, ego do vobis, nisi quatenus illa omnia cum altera mea pace vobis relicta, conveniunt. Contradicunt isti. Nos mundi pacem quærimus, pacem in substãtijs nostris, pacem in Rep. pacem in fortunæ bonis, in rerum omnium affluentia, in quiete, & copia domestica. Ad pacem Christi quod attinet, ea demum tunc in considerationem veniet, quãdo cætera omnia in tuto erunt. Rursum dicit Christus. *Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram; non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim seperare hominem aduersus Patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam: & inimici hominis domestici eius*, id est, Non sic veni, non sic Euãgelium salutis æternæ vobis adfero, Matth.10

non ſic ad nominis mei profeſsionem vos voco, vt in alta rerum temporalium pace, in perpetuo & ſuaui veſtrorum conuictu, hoc tantum beneficium conſeruari ſemper à vobis & retineri poſsit. Tempora enim erunt, in quibus ad hoc beneficium conſeruandum, pace hac & fruitione temporali carere debeatis: & ita carere, vt propter nomē meum, illa omnia deſpiciatis. Quare ſic ſtatim Redemptor noſter proſequitur. *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non eſt me dignus*, & alia quæ ſequuntur. His verò Chriſti verbis fortiſsimè contradicunt omnes noſtri temporis Politici; Nolumus (aiũt) a noſtris parentibus aut pignoribus religionis cauſa, ſeparari. Nolumus fortunarum

rum aut rerum nostrarum discrimen ad conseruãdam religionem adire. Pacem volumus non gladium. Pacem in ciuitate, pacem in Repub. pacem in substantiis nostris, quicquid de Christi nomine, cultu, religione, fiat. Qui tot modis, tam apertè, tam flagitiosè Christo contradicunt; tamenue in Christianorum numero habendi erunt; tamenue Christiani homines à quoquam vocari possunt; A nemine arbitror, nisi qui ipse Christianus non est. Sed cætera videamus.

In Euangelio filii huius seculi nonne filiis lucis manifeste à Christo Domino opponuntur? *Prudentiores* (inquit) *sunt filij huius seculi in generatione sua, quàm filij lucis.* At qui tandem filii seculi sunt, Luc. 16.

ſi noſtrorum temporũ Neo-politici non ſunt: qui ſeculo huic per omnia conformantur, qui tempori ſeruiunt, qui in ſecularibus deſideriis toti occupantur, qui huius ſeculi bona, fortunas, pacẽ, eo animi impetu, eo ſtudio conſectantur, conquirunt, ambiunt; vt quod filio lucis proprium & intrinſecũ eſt, Religionem & cultum veri Dei penitus negligant? Rurſum qui ſũt filii lucis niſi ſoli Christiani? Audi apoſtolum. *Ephes. 5.* *Eratis tenebræ, nunc autem lux in Domino: vt filij lucis ambulate.* *Ioan. 1.* Audi Euangeliſtam. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*, id eſt, Chriſtum veram lucem filii huius ſeculi non receperunt. Audi deniq; Chriſtum ipſum.

ipsum. *Ego lux in mundum veni. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* Soli ergo filii lucis, Christiani sunt. Politici igitur, nō filii lucis, sed filii huius seculi, Christiani nō sunt. An filius lucis esse potest, qui per omnia, luci contradicit? Christianus erit, qui Christi religionem non tenet? Aut tenere ille putandus est, qui qualibet occasione eam dimittit? nec maritus dicendus est, qui quo libet cōiugii incommodo motus, à coniuge diuortium quærit; nec ciuis habendus, qui in quouis ciuitatis discrimine societatis ciuilis fædus abrumpit, & defēsioni se subtrahit, nec christianus existimādus, qui periclitantem aliquādo religionem penitus deserit. *Ioan. 8.* *Politici nō Christiani*

In illa parabola *de inuitatis ad nuptias filij Dei*, id est de vocatis *Matth. 22*

catis

catis ad fidem mediatoris, ad professionem nominis Christiani, cum alii venire recusarent, alii, missos ad se fidei prædicatores cōtumeliis affectos, occiderunt, inter discumbentes in nuptiis, inuentus est vnus, *non habens vestem nuptialem.* Hic vnus qualis tandē erat; Nonne ad nuptias filii Dei vocatus venit; veniens discubuit, discumbens amicum se sponsi, hoc est, Christianum professus est; Sed an propter hæc omnia, pro amico sponsi habitus fuit? Non habuit vestem nuptialem: Charitatem Dei, amorem, curam, Zelum religionis nullum, habuit. Non amore sponsi, sed vt de conuiuio nuptiali gustaret, discubuit. Non ex amore Christi, Christianum se & Catholicum professus est;

est; sed quia vtile tunc illi atq; honorificum fuit. Hodie politici in Belgio Catholici, in Gallia fœderati, in Anglia scismatici sunt, quia ad honores, ad dignitates, ad augendam rem familiarem aditus in Belgio nõ patet nisi Catholicis; in potentissimis Galliæ ciuitatibus nisi sacri fœderis sociis; in Anglia nisi schisma factum complectentibus. Haud secus quam olim Samaritæ hi faciunt: qui vt refert Iosephus, *hoc ingenio erant vt in rebus Iudæorum afflictis negarent se cognatos, veritatem tunc dicendo: cum verò affulgere eis fortunam viderent, confestim in societatem irruebant*: Quod eo maximè tempore faciebant, quo Alexandrum magnum Iudæis fauere, magnaque illis priuilegia concedere, animaduerte-

Politici Samaritani.

Antiquit. lib. 11. *c.* 8

uerterēt. Tales hodie nostri Politici sunt Catholicorum partes quum illis est commodum, tuentur: quum incommodū aut minus commodum, vel deserunt, vel etiam cum aliis, impugnant. Tales discubuerunt sine veste nuptiali. Sed quid ad hæc sponsus; *Amice* (inquit) *quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Amicum vocat, vt illum suum proditorem Iudam alio in loco. *Amice ad quid venisti? Quomodo huc intrasti?* Qua fronte, quo vultu, qua audacia, in nuptiis meis discubuisti? Incarnationi filij Dei nomen tuum dedisti. Christianum te profiteris, non habens vestem nuptialem: De hoc Mediatoris tui beneficio, de Christiani nominis profesione, de

Matth.21

Matth.28

de religione Christiana nihil curæ, nihil pensi habens: Christianum te audes dicere, & Christianam religionē stetur, cadatur, susque deque accipis? Discumbis in Ecclesia mea, sedes ad mensam meam, accedis ad sacramenta mea, & Ecclesiæ meæ pacem passim violari, mensæ meæ sacrificia tot locis pollui, sacramenta mea à tam multis abrogari, tu æquo animo pateris, tu nihil ad te pertinere existimas, tu tua nihil interesse, arbitraris. Ergo nec Dei metus, nec fraterna charitas, nec pietatis studium, nec tot tecum discumbentium tam veneranda societas, tot Martyrū certamina, tot Confessorum exempla, tot Virginū merita, tot Patrū dogmata nihil te horum ora vultusq; mouerunt?

uerunt? Omnes quippe isti ne Politici fierent, fidei & nominis professionem in quibuscumque temporum procellis, fortissimè tenuerunt. Qui si Politicos agere voluissent, tuæq; impudentiæ socii esse, nec vno anno mea stetisset Ecclesia. *Quomodo ergo huc intrasti*, & conuiuam te profiteri ausus es, *non habẽs vestem nuptialem*? Ad hanc tam acerbam & iustam Sponsi reprehensioné, quid respondet politicus & Laruatus meus Christianus? Dicit Euangelium. *Ille autem obmutuit*. In tam flagranti crimine deprehédútur à Christo Politici isti, vt nullam defensionis speciem manifestum flagitium admittat. Quare è vestigio pronunciatur sententia. *Ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras*

nebras exteriores; Ibi erit fletus & stridor dentium. Videte obsecro & attēdite Auditores. Nec infideli, qui ad nuptias filii Dei venire noluit, nec mundi huius amatorib. qui vocati eunt post hoc seculum, alius in villam, alius in negociationem suam, nec ipsis Christianorum persecutoribus, quicquam tale Deus comminatur. Soli simulato & laruato Christiano, quales maximè sunt horum temporū politici, horrenda hæc & quæ verbis explicari nequit, pœna infligitur.

Politicorū pœna grauissima.

Est quippe Neopoliticus iste & hæretico, & Turcâ, deterior. Turca nec Christianis se amicum dicit, nec Catholicis. Hæreticus Christianis se fauere dicit, sed non Catholicis. Isti Neopolitici

Politicus hæretico aut Turca deterior.

tum Christiani, tum Catho-
lici, quàm qui sunt maxime
videri volunt, quum neutrũ
sint, Illis ergo sempiternas
plagas speciali quadam rati-
one (quam hoc loco expli-
care prolixum esset) diuina
prædixit sententia. His adde
quod dicente Christo. *Qui
non est mecum, contra me est, &
qui non colligit mecum, spargit;*
non alio loco Politicum, qui
cum Christo nõ est, nec cum
Ecclesia stat, quàm hæreti-
cum qui odit & persequitur
Ecclesiam, habere debes.
Aeque non est Christianus
contemptor religionis, quã
hostis.

Vide Prompt. in Morale Domin. 19 Post pent. tex. 9. Matth. 12

Sed vt Neopolitici quam
nihil minus sint quam Chri-
stiani magis adhuc & magis
elucescat, eorum maiores &
nobiles antecessores in hoc
prudentiæ ac Politiæ genere
qui

qui fuerint, annotabimus. Si enim nisi omnium maximè scelere & maleficio insignes huiusmodi olim Politici fuerunt, quid de his nostris iudicandum sit, in promptu est. Ieroboam ille qui decem tribubus veteris populi propter peccata Salomonis à Deo præpositus & Rex constitutus, magnus in hoc genere politicus fuit: qui vt Regnum suum sibi confirmaret, duos erexit vitulos in duobus excelsis montibus, quos populus adoraret, ne Hierosolymam ascēdentes vt vera Religio præscripserat, ad Roboam Regem Iudam redirēt, Sic Politicus ille, Regni sui statum Religione anteponens totū penè illum populum ad idololatriam pertraxit. Achaz Rex Iudæ, videns se à Syris de-

Politicorū maiores.

Ieroboam.

3. *Reg. 12.*

deuictum, quum id peccatis suis imputare deberet, & ad Dei auxilium confugere, politicè agere maluit, dicens. *Dij Regum Syriæ opitulantur eis; quos ego placabo hostijs & aderunt mihi.* Sic iste Politicus, Deum suum & Religionem suam, vtilitate metiebatur. Eos elegit Deos, quos sibi vtiliores fore arbitrabatur; sicuti illam hodie religionem tenent Politici, quæ vel maxime vtilis vel minime damnosa, videtur. Sed & totus ille Iudæorum populus, qui in Aegyptum fugerat capta Hyerosolima, à Rege Assyriorum politicè agere maluit, sacrificans idolis, quàm Ieremiæ verba audire, vt veri Dei cultum retinerent. Aiebant enim Ieremiæ. *Facientes faciemus vt sacrificemus Reginæ cœli, & libemus ei libamina,*

2. Par. 28.

Iudæi Idololatræ.

Ierem. 44

libamina, sicut fecimus nos & Patres nostri, & saturati sumus panibus & bene nobis erat, malumque non vidimus. Ex eo autem tempore quo cessauimus sacrificare Reginæ cœli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio & fame consumpti sumus. Isti quoq; suam religionem, ex rerum præsentium affluentia, metiri voluerunt, quod hodie Politici faciunt; eam ob causam Catholicæ Ecclesiæ defensionem deserentes, & cuiuslibet hæresis liberum exercitium vel dissimulantes vel admittentes, quia ex eo tempore quo Hæreticos divexare cœperunt, magna suarum rerum detrimenta, iacturas graues, acceperunt. Sed maximè insignis & nobilis Politicus, Achas ille impius Rex Israel fuit; qui Patrum suorum religione penitus

Achas impius.

 nitus

nitus abiecta, quum solus tunc aut certe potissimum
3. Reg. 27 Elias Propheta eam zelaret, & ita zelaret vt in pœnam perfidi Regis, illi in os diceret; *nec rorem nec pluuiam aliquot annis futuram, nisi iuxta oris sui verba*; post triennii siccitatem, occurrens tandem Eliæ Prophetæ, ait illi. *Tu ne es ille qui conturbas Israel?* Videte Politici vocem. Turbant Rempub. ipsius iudicio, qui Zelo religionis tacti, Dei causam fortiter agunt. Sed quid ad hæc Elias? *Nõ ego* (inquit) *turbaui Israel, sed tu & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & sequuti estis Baalim.* Neopolitici sunt, desertores religionis sunt, qui turbant Israel; qui turbant imò perdũt Rempub. Christianam. Verus Israelita erat Elias. Impius politicus erat Achab, qui

qui vt vxori Iesabeli morem gereret; veram Dei Religionem contempsit. Sic veri Christiani, sunt Zelatores fidei & Religionis Christianę. Impii politici eam despectui habent, vt suis cupiditatibus morem gerant. Sed alios ad huc videamus nostrorũ Politicorum Patres, præceptores, antecessores, quos sibi imitandos pro sua prudẽtia politica delegerũt. Pharisæi, *Pharisæi.* Christi famam & prędicationem politicè impedire volebant, dicẽtes: *His homo multa signa facit. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum nostrũ et gentem.* *Ioan. 13.* Sic in Anglia conuersio hæreticorũ, confirmatio Catholicorũ, Reconciliatio scismaticorũ, quam sacerdotes ex seminariis Romano & Remẽsi eò missi, quoditie operãtur, á politicis illic Sena

toribus ſummo ſtudio impeditur, ideoque non vnum (& ſi propter vnũ) ſed multos pios ac doctos ſacerdotes pati faciunt pro populo, extremoque ſupplicio afficiunt, *Ne* (inquiunt) *tota gens pereat*: ne omnes fiant Papiſtæ, & veniat Papa, aut ueniant Hiſpani, & tollant locum noſtrum & gentem, id eſt, tollant hæreticos & vniuerſum Caluiniſmum. Quid verò? Iudas ille proditor, Nonne vnus ex noſtris politicis erat, quum viſo vnguento precioſo in Chriſti caput effuſo, clamauit furcifer: *vt quid perditio hæc? Venundari iſtud poterat & dari pauperibus.* Quæ ille *vt latro, dixit*, (ait S. Ioannes) *quia loculos gerebat, non quod ad eum de pauperibus pertineret*, Sic hodie Politici, omnes ſumptus in bello ſacro

Iudas proditor.

Matth. 26

Ioan. 12.

cro ad Religionis Catholicæ defenſionem factos, Regiſq; noſtri potentiſsimi & pientiſsimi Philippi 2. (quē honoris cauſa nomino) Hiſpaniarum & vtriuſque Indiæ Monarchæ, arma in hæreticos conuerſa, theſauros ampliſsimos, largiſsima manu in eum finem effuſos. Perditionem vocant. Vt *quid* (inquiunt) *perditio hæc?* vel ad ſua in Belgio recuperanda, vel ad Turcam perdomandum, vel ad Imperii fines propagandos, tam immenſi ſumptus conuerti poterant. Ita non ſecus iſti perire exiſtimant, quicquid in corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia, confertur, nec ad ipſorum vertitur cōmodum aut honorem, quàm totum perire exiſtimauit Iudas, quod in Chriſti perſonam conferebatur,

batur, nec ad eius loculos quos portabat, delatum est. Sed nec tales desunt Politici qui ad præsentes hæreses animo non affecti, vt luculentum tamen emungant lucrum, causam Catholicam produnt, in acie hæreticorũ stant, & vendunt iterũ Christum, sicut idem Iudas Pharisæorum malitiæ subseruiens, non quod illos diligebat, sed quod ad offam pinguem inhiabat. Dixit ad illos. *Quid vultis mihi dare, & ego*
Matth. 26 *tradam eum vobis? Et constituerunt illi triginta argenteos.* Bonus sanè Politicorũ nostrorum Pater, præclarus antecessor, qui multos nunc in
Pilatus. Gallia (proh pudor, proh dolor) imitatores habet. Sed & Pilatus nonne vt Politicus Christum damnauit, & *vo-*
Luc. 23. *luntati Iudæorum tradidit?* Illo vide-

videlicet clamore territus & perculsus, *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.* Dolens dico sed dicendũ est, causam Catholicam à Principibus nostris vt videbantur Catholicis, sed verè Politicis, in primis regnantis Elisabethæ omniũ Regni ordinũ comitiis proditam vidimus: qui ne nõ essent amici Cęsaris, amici suæ, Principis, Catholicæ Religionis abolitionẽ, infami & nefando exemplo decreuerunt. Alij in eisdem comitijs venalia suffragia habebant; Et sicut reprobus ille Esau, *pro vno pulmento, primogenita sua vendebãt*, pro vno præsenti lucello, & vt suis placerent Principibus, Religionẽ hæreditariam, quæ & Regni cælestis hæredes eos cõstitueret, toto regno Anglicano expulerũt, Deniq; Iulian. ille insi-

Ioan. 19.

Esau.
Gen. 25.

Iulianus apostata.

insignis apostata, non quum Imperium adeptus est, tum primum apostata fuit; sed adhuc viuente Constantio Patruo suo, cuius imperium formidabat, & per quem ad imperium aspirabat, verus apostata fuit sed politicus, Christianam religionem adeo simulans, quia Christianus erat Constantius, vt & vitæ monasticœ studium præ se tulerit, & in ordinem clericorum se ascribi passus fuerit. Isti sunt politicorum nostrorum præclari parentes, splendidi maiores, antecessores amplissimi. Ieroboam, Achab, & Achaz reges impii, vetus populus idololatria, Pharisæi Christi persequentes, Iudas proditor, reprobus Esau, Pilatus perditissimus Iudex, Iulianus apostata. Si veræ Religionis

Am. Marcell. Socrates lib. 3. cap. 1.

onis cultores isti erât, Christiani quoque sunt Politici nostri. Sin nulla horum hominũ religio fuit, sed atheismus quidam Politicus; nec nostrorum hodie politicorum vlla religio est, nedum Christiana. Quorum enim fœdissima facta imitantur, in eorum ordine consistere, numero ac loco, censeri debent. Et vt summatim multa complectar, isti sunt *arundines vento agitatæ*, qui ad omnẽ se religionem conformant, quia nullam religionem admodum ad rem pertinere, iudicant. Isti *scandalizantur in Christo*, eiusque sanctissima religione, vt quæ eorum cupiditatibus contradicat. Istis Christus *factus est in ruinam & in petram scandali*; prorsusque *cum gentibus stultia, & cum Iudæis, scandalum*, Crux Christi illis

Matth. II.

Luc. 2.

I. *Cor.* I.

illis est; omnisq; pro Christo ferenda aduersitas; voluntq; (quod proprium terrenæ ciuitatis quæ ciuitati Dei opponitur esse docet Augusti:) *vti Deo & frui mundo*; vti ad suum commodum religione; frui & conquiescere in bonis terrenis. Sed & horum Politicorum impietatem, quâm sit ab omni religione alienissima, luculenter demonstrat Imperatoris Heliogabali Romani, Sardanapali, infame exemplũ. Nam vt ille homo flagitiosissimus atq; spurcissimus, religionẽ eo loco habebat, *vt nullum quidẽ Romæ Deum, nisi Heliogabalũ coli pateretur, sed ita, vt in suum templum præter omniũ aliorum Deorum, etiam Iudæorum & Samaritanorum religiones, atq; adeo Christianã deuotionẽ transferri voluerit, vt omnium culturarum*

De Ciuit. Dei lib. 15. cap. 7.

AElius Lampridius, in Antonino Heliogabalo.

rum

rum secretum, Heliogabali sacerdotium teneret? Sic planè nostri tẽporis Politici, omnes religiones ac sectas, Lutheranorũ, Caluinistarũ, Puritanorũ, atq; adeo Catholicam deuotionẽ tolerandas & recipiendas, atq; à Regib. permittẽdas arbitrantur, dummodo pax Regni tuta sit; vt omniũ culturarum mysteria Politicorũ idolũ teneat; nec vllũ errorẽ respuãt, qui nullã veritatẽ curant:& (vt de Roma ethnica scribit S. Leo) *hac in re magnã sibi videantur assumpsisse religionẽ quia nullã respuunt falsitatẽ.* Quo in genere laudat politicus Bodinus varios Imperatores, qui ipsi Catholici quũ essent, hæreticis tamen liberos cõuentus concesserũt. Sed vt multa mentitur, de Constante videlicet, & Theodosio magno, & Valen-

Serm. 1. in Nat. Apost. Pet. et Pauli.

De Repub. lib. 3. c. 7.

 len-

lentiniano maiore, qui Arianis liberatis aliud nunquã concesserunt; sic quod de Valente Imperatore Ariano & de Anastasio Eutijchiano profert, quorum ille à Gothis in bello victus, in tugurio cum suis concrematus est, hic igne de cœlo tactus fuit, nihil ad rem facit: nisi forte, quorum exitus tam horrendas & infames hæreses omnes Principes merito exhorrescunt, eorum impia facta Christianos Principes imitari vellet. Et quod idem Anastasius Concionatores verbi fortes & pro veritate constantes in exilium relegasse, à Bodino dicitur, hoc in eius summũ vituperium & detestandam ignauiam atque irreligionem notandam, qui præpostero pacis studio, nullum cuiuscumq; zeli

Ammian. Marcell: histor. lib. 31. Paul. diac. hist. lib. 15.

Euang. li. 3 cap. 13. Niceph li. 16. ca. 26.

religionis Zelatorem tolerare, voluit, ab historicis Ecclesiasticis commemoratur; non in exemplū bonis Principibus proponitur, vt Catholici quum sint, Concionatores Catholicos Dei causam fortiter agentes, ipsi similiter in exilium pellant, vt magnus ille nugator Bodinus, inferre voluit. Certe illud Anastasij fædum facinus, sicut & proximi eius antecessoris Zenonis edictum ἑνωτικὸν, seu pacificatorium (quod etiam citat Bodinus) *vt suprà.* *totum Orientem perdidit*, teste Euagrio, *innumerisque hæresibus repleuit.* Valens quoq; Arianus, quum omnibus sectis libertatem daret, & solis Catholicis negaret, id effecit, *vt cultus idololatricus, passim inualesceret*, vt scribit Theodoretus. Tanto cum iudi-

Hist. Eccl. lib. 5. c. 20 cio sua exempla profert, suosque Authores citat Bodinus, & Politicum agens honestē se Christianitatis prodit.

Sed vt ad Politicorum nostrorum maiores redeamus Politici erant amici illi Tobiæ iusti, qui sic ei loquebantur: *Iam huius rei causa interfici iussus es, & vix effugisti mortis imperium, & iterum sepelis mortuos?* *Tob. 2.* *Sed Tobias plus timens Deum quā Regem rapiebat corpora occisorum fratrum suorum, & sepeliebat ea.* *2. Mac. 6.* Politici erant, qui Eleazaro seni suadebant vt carnes lege vetitas manducare se simularet, sicq; vitæ suæ & fortunis consuleret: quod ille recusans facere, pro religione Patrum suorum mortem oppetere maluit. *In vita eius apud Surium. 12. Apri.* Politici erant, qui S. Sabam martyrem in eandem simulationē inducere volebant, primū car-

nes

nes non immolatas pro immolatitiis (quas ethnicꝰ proposuit persecutor) supponendo; Deinde iurare volentes neminem in suo pago Christianum esse. A qua tota simulatione politica vir sanctus alienissimus, exclamauit: *Nemo pro me iuret. Christianus ego sum, nec idolis immolata, manducabo.* Talis ille vere Christianus, tales illi Politici & non Christiani, fuerunt. Sed exemplorum & argumentorum fortasse iam satis, quæ nostros politicos nihil minus quam Christianos homines esse, luce meridiana clarius euincent.

Venio nunc ad secundam orationis nostræ partem, in qua quanta sit Politicorum nostrorum impietas, quám etiam ethnicorum iudicio execranda, quãtisq; pœnis ac suppli-

supplicijs digna, dicendum mihi est. Quæ sanè pars pluribus verbis non videtur explicanda. Si enim in Christianorum numero nō sunt habendi, Si Christo Saluatori nostro, non factis tantum vt mali Christiani, sed iudicio quoque ac sententia multis modis contradicunt, si hominū, qui vnquam fuerunt, scelestissimorum facta imitantur (vt ex his quæ iam diximus patefactū est (quid demum obsecro ad hāc tantam impietatem addi potest, aut quid moramur de illis confestim sententiā ferre, & vt monstra ac portenta mundi, non Christianorum tantum, sed & omnium bonorum virorum societate indignos, pronunciare? Cæterum, nisi multæ adhuc viæ & rationes extremam eorum

rum impietatē nobis commonstrent, quæ hactenus dicta sunt, condonari illis & tanquam nulli culpæ affinia, haberi volo. Primum enim hoc vnum, quantum est in nostri tēporis Politicis, flagitium & scelus quod Religionis conseruationem vel 1.
nullo loco habent vel nisi in secundis aut etiam extremis ponunt? quòd Zelum Catholicorum pro religione 2.
pugnantium, pro religione asserenda ardens studium, pios labores, graues impensas, pro summo furore & amentia ducunt? quod ipsi 3.
religionis ob causam quam & profitentur, nec vnius teruncii iacturam æquanimiter ferunt? Hic inquam sacrosanctæ Religionis (qua vna salua, salus cōsistit omniū sempiterna) contemptus, nau-

nausea, fastidium, quantum scelus, quàm immane flagitium, quàm certum & exploratum hominis perditissimi argumentum est? Cui enim ille peccato, cui sceleri, fraudi, flagitio consensum & operam præbere suam reformidabit, qui totius pietatis fontem atque virtutis vinculum, *Religionem*, despexit? Quem ille in furto, in rapinis, in adulterio, in fraude, in mendacio, in quauis libidine aut cupiditate, scrupulum ponet, qui *Religionis* causam despectui habere, id est, Dei rerumq; diuinarum, curam amorem, affectum omnem, animo eijcere suo, potuit? Sed agam presśius. Vereor enim ne molestus sim vobis Auditores, aut ingẽijs vestris diffidere videar, si de tã perspicuis rebus diu-

tius

tius differam. Surgăt ethnici & infideles, qui Politicos noſtros de hoc religionis contemptu, condemnent. Senatus Romanus totius orbis tribunal ſupremum, ſic Religionis cauſam omnibus rebus antetulit, vt in ſingulis conceſsibus, de Diuinis rebus priuſquam de humanis ad Senatum referretur, quā etiam ob cauſam, non niſi in templo aliquo conuenire, & qui eo die Senatum habuit, immolare prius hoſtiam auſpicarique debuit, vt author eſt M. Varro apud Aulū Gellium. *Li. 14. c. 7* Sic iſti terrarū Domini religionis cauſam etſi vaniſsime, nō niſi primo ſemper loco habēdam, cæteriſq; rebus omnib. præferendam, cenſuerunt. Idem igitur Senatus, Numæ Pōpilii libros in agro quodam dum cultores

res altius moliuntur terram, inuentos, quia Prætor lectis rerum summis pleraque in illis soluendarum religionũ esse aduerterat, idque iureiurando affirmare paratus erat, publicè in conspectu populi, cremari iussit. Adeo religionis quam tenebant, vel minimam reprehensionem non ferendam, consuêrunt. Alexander Seuerus Imperator ethnicus, audita cõtrouersia inter Christianos & gentiles quosdam, de fundo & loco quodam publico, quem Christiani orandi in eo causa occupauerunt, asserentibus cauponibus & popinariis, eum ad se locum olim pertinere pronunciauit. *Quoquo modo sit, satius esse eo in loco Deum coli quàm cauponas exercere*, locumque Christianis adiudicauit. Non sic ille

Tit. Liu. Dec. 4. li. 10.

Ælius. Lãpridius in vita eius.

Impe-

Imperator optimus de Religione exiliter sensit, aut ita eius causam flocci fecit; vt nostri hodie prudentes scilicet Politici. Quid quod Turcarum Princeps Mahometicam suam & absurdissimam religionem ita religiosè tenet ac colit, vt quoties cum suis proceribus deliberat, professor legis Mahometicæ adesse semper iubeatur, qui attentè obseruet ne quid in Mahometicæ religionis præiudicium, statuatur. Proh Deum immortalem, sic impurus ille & spurcus Mahometes cum sua vxorum pluralitate, & aliis absurdissimis legibus nihil nisi carnem & libidinem spirantibus, religiosè colitur, vt in supremi Principis intimo senatu, cótra eius leges nihil statui queat nullum adferri præiudici-

Albertus. Nouicampianus in Orat. ad Hungariæ Principes.

 um

um debeat, primus honor, prima cura, illis deferatur; & Christi Iesu castissima religio, in cuius sanctissimũ nomen totus orbis terrarum à tot iam seculis iurauit, ita à quibusdam nouis Politicis, qui se Christianos vocant, flocci pendetur, ita pedibus proteretur, vt vel nullo, vel non nisi infimo atq; postremo loco, ab illis habeatur? Quod demũ aut quale hoc portenti genus (neq; enim homines amplius dixerim) esse arbitramur?

Politici Satanæ postrema instrumenta

An hoc postremum impietatis suę facinus quasi cõpletam suam malitiam, in fine nunc sæculorum inuexit Satan, vt quod hactenus per tyrannos ethnicos, per potentes Mahometanos, per nefarios hęreticos obtinere nõ potuit, ꝑ nouos istos Politi-

liticos, quaſi larvatos quoſdam Chriſtianos, & nomine tales reatheos, efficeret? Sic opinor verũ erit, quod Chriſtus non ſine gemitu dixit. *Putasne filius hominis quum venerit, inueniet fidem in terra?* **Luc. 18.** Inueniet quippe Ethnicos, qui verum Deũ non colunt; Inueniet Iudæos, qui Chriſtum non recipiunt; Inueniet Mahometanos, qui non niſi pro Propheta aliquo, eum agnoſcunt; inueniet hæreticos, qui Eccleſiam eius nõ audiunt; quumq; reliquos inuenire deberet orthodoxos & Catholicos, proh ſcel9, proh pudor, inueniet eos nouos politicos, nouos atheos, nouos Diagoras & Portagoras, qui dudũ è ciuitatib. omnib; pelli debeãt; vt veteres illos expulerũt Athenienſes propoſita etiam ei mercede, qui illos

Suidas in Diagora.

illos interficeret, vt de Diagora refert Suidas; An durus vobis hic sermo videtur, nouos iſtos Politicos tanquam atheos, & Deorum atq; hominum deriſores, ciuitatibus pellendos? Videte igitur an non idem in eos ſtatuerit Conſtantius Imperator, Conſtantini Magni pater. Nobile eius & præclarum facinus audite. Imperatoriam & Auguſtus declaratus, vocatis omnibus domeſticis ſuis, ait, eos qui ſacrificare Diis vellent apud ſe manſuros loco & honore priſtino, qui id recuſarent, vt recederent, gratiaſq; agerent, quod in eos grauius non animaduerteret. Quibuſdam ergo Chriſtianis Politicè ſacrificantibus, aliis verò aulam potius quam fidem deſerentibus, hos apud ſe re-

Euſeb. in vita Conſtantini li. 1. cap. 14. & Sozom. lib. 1. ca. 6.

se retinuit, magnoq; in honore habuit: politicos vero illos, & arundines vento agitatas, Aula sua expulit, Dicens, *eos Regi suo nunquam fideles fore, qui Deo infideles extitissent.* Quidni ergo ciuitatib. pelli merentur, quasi ciuitati suæ nunquam fidem seruaturi, qui Deo suo eam non seruarunt, quos tantus Imperator Aula sua expulit, & honore deiecit? Sed grauius adhuc & memorabilius exemplum accipite. Theodoricus Arianus in Africa Rex, ministrum quēdam Catholicum habuit, apprimè sibi charum & in deliciis. Hic vt magis Principi suo placeret, & bonum politicum ageret, Arianum se fieri velle, Regi renunciat. Quo ille audito, capitis eum supplicio affici iubet, sic ei dicens. *Si Deo tuo*

Theodorus lector li. 2 Collectā.

 fidem

ſidem non ſeruaſti; quomodo mihi, qui homo ſum, ſeruabis? Si tales hodie Principes, Dominos ac Magiſtratus, Politici noſtri inuenirent, tota eorum politia cito euaneſceret, & ad ſimplicitatem Chriſtianã, homini Chriſtiano propriam, Dicto citius rediret. Certè vt facti ſui impietatẽ non exhorreſcant, exitũ tamen & finem quare nõ pertimeſcunt? Si Metios Suffetios agunt, & quo inclinet victoria exſpectantes, ad omnem ſe religionem interea conformant, cur & conſimilem mercedem nõ commerentur? An non verò grauior eſt Religionis ſacroſanctæ cauſa, qua Deo & Eccleſiæ omnis Chriſtianus aſtringitur, quam ſociale fædus, ab homine inter homines, initum? An non ſi ſimili aut

certè leuiori aliqua pœna plecterentur, meritò & illos quadret.

Attu dictis Albane maneres?

Sed illud quoque iterum atque iterum dispiciat politicus fore proculdubio, vt si vincat hæreticus cuius partes simulatione sua iuuat, nō meliore apud eum loco sit, quam erit Catholicus, qui fortiter sese hosti opposuit. Placet hosti proditio, sed proditor, nunquam placuit. Placent hodie hæreticis, Politici isti & pseudo-Catholici. Sed talis politia, istis summopere displicet.

In Anglia tam Principi, quam toti nobilitati & populo hæretici multo magis displicent, magisque exosi & suspecti sunt, quos Schisma- *Schismatici Angli.*

ticos vocamus, id eſt, qui ab hæreſi animo alieni hæreticorum tamen conuenticula frequentant, & illis per omnia ſe conformant, ne aliquod fortunarum diſcrimē adeant, quam veri & Zeloſi Catholici, qui nec fidem ſuam diſsimulant, nec alii haberi volunt, quam ſunt. Et quidem meritò: Quæ enim illis fides habēdà, qui in ipſa fide, fidem nō ſeruauerunt? Argumentemur cum Apoſtolo, *Qui ſuorum & maximè*
1.Tim.5. *domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & infideli deterior eſt.* Bone Deus. Quid ergo erit Politico, qui domeſticorum fidei, qui Religionis totius, curam nullam habet? An non & ille fidem negauit, & infideli deterior eſt? Certe S. *a* Cyprianus & *b* Theophilactus per domeſticos hoc

a Ad Quærinum lib. 3. cap. 75.
b In comment.

hoc loco, fidei domesticos & fideles ad literam intelligunt. Fidem autem negauit huiusmodi ἄστοργος, quia ad fidei abnegationem talis fidelium fratrum cõtemptus, tum alios inuitat, tum ipsum neglectorẽ, manuducit. Est quoq; infideli deterior, quia nec infidelis ipse, vel domesticorum suorum, vt fidei ac religionis suæ curam negligit, vt in præcedentibus, ostensum est. Sed dic mihi obsecro bone politice, Ais te Catholicum quidem & esse, & viuere ac mori Catholicũ velle, hocq; tibi homini priuato satis esse, si tuã ipse animam serues; nec necesse tibi esse, vt in has te turbas imprudenter des. Laudarem prudẽtiam tuam, si illa prudentia esse potest, quæ cum impietate coniuncta est. Sed

Politicus infideli deterior.

Politicorũ absurda defensio.

nunc vide, quam prorsus ab surdè loquaris. Nonne ab surdissimus, & tum patris tum ciuis nomine, indignissimus esses, si ciuitate tua a hostib. obsessa, pro tuis quidem fortunis, pro vita ac salute tua paciscerere, quibus saluis ciuitatem hosti traderes, atq; ita liberos ac posteros tuos omnes patria ac paterna hæreditate, spoliares? Neminem arbitror sic malè Politicũ, qui huiusmodi ciuem nõ inferis omnibus ac diris daret, nec ciuem, sed proditorem patriæ vocandũ, diceret. Atqui tu Police Christiane, ita tibi religionẽ tuam saluam esse vis, vt ciuitate ac patria tua hæreticorũ potestati relicta, & liberos & ciues, & posteros tuos omnes, fide ac religione Christiana in perpetuum, spolies.

Hoc

Hoccine politicè factū putas? Hoccinè Christianè & Catholicè factum existimas? Nō vides te sceleratissimū, esse fidei ac Religionis tuæ proditorem; te fidem negasse, abnegationis fidei causam multis dedisse, & infideli deteriorem esse, Denique id facere, quod nullus infidelis faceret? Si in causis ciuilibus & in bonis fortunæ ac corporis, non nobis tantum nati sumus, sed patriæ & ciuibus; quanto magis in causa Religionis & in bonis animæ ac salutis æternæ, non nobis tantū renati in Christo sumus, sed toti Ecclesiæ, cuius membra sumus, toti Christianę societati cuius filii & fratres sumus? maximè vero illi Christianorum societati, illi Ecclesiæ particulari, in qua agimus.

Sicut in corpore natura non sibi oculus videt, aut p ambulat, sed toti corpori ad bonum totius; sic in cor pore Christi mystico, quo est Ecclesia, nemo sibi tan tum Christianus est, sed to Ecclesiæ: iuxta illud Aposto li. *Nemo nostrûm sibi viuit: &*
Rom. 14. *nemo sibi moritur.* Et rursum
1. Cor. 12. *Non potest oculus dicere manui, o pera tua non indigeo: aut capu pedibus, non estis mihi necessarij sed idipsum pro inuicem sollicit sunt membra: & si quid patitu vnum membrum compatiuntur o mnia membra.* Si ergo ô Poli tice, membrum Christian societatis es, quomodo ill laborante, & tot ac talia a hæreticis patiente, nihil cô pateris? quomodo vt tuo priuato commodo prospi- cias, fratrum tuorum omni- um salutem, negligis? Quam

ergo nobis maiores nostri sacrosanctā religionem integram & sanam in patria aut ciuitate nostra reliquerunt; eam si Christiani sumus & Reipubl. Christianæ boni ciues, posteris quoque nostris quantū in nobis est, integram & illibatam relinquere, debemus. Qui aliter sentit, qui aliter faxit, eam & tuber deforme, & callū obduratum, à reliquo corpore resecare, vt pestem publicam detestari, vt portentum quoddam in vltimas terras deportandum, fugere & abominari, oportet.

Solō hanc Politiam suos ciues docuit, *vt mala publica, non secus quam propria, omni studio curarent.* Rogatus enim, quo tandem modo fieri posset, vt nullum in ciuitate scelus perpetraretur? respon- *Stob. ser. 41.*

dit? *Si tam indignarentur illi, quibus non est facta iniuria, quam quibus facta est.* Sic vnius Leuitæ concubinam à Gabaonitis nefariè violatam, omnes vndecim trib. Israel in prælium congregatæ, vltæ sunt. Timon rogatus cur homines odisset, respondit. *Improbos odi, quia improbi sunt. Bonos odi, quia improbos non oderunt.* Certè vrbē Romam, in qua tam multi boni Christiani erant à Gothis captam atq; direptam fuisse, ipsosq; bonos cum malis acerbam illam calamitatem perpessos fuisse, quia boni malos tolerabant, & propter humanū Diem linguamq; blandientem ab aliis reprehēdendis, multò magis corrigēdis abstinebant, scribit grauiter & doctè S. August: Athenienses profectò melius hac in re

Iud. 20.

Maximus serm. 26.

De Ciuit. Dei lib. 1. cap. 9.

insti-

instituti, quam nostri hodie Politici, in schola Machiauelliana hanc politiã didicerãt, vt Themistocles consiliũ de succẽdenda Lacedæmoniorum classe, quæ induciarum tempore in quadam eorum statione cõstiterat, etsi Reip: suæ vtilissimum, tamen quia turpissimũ, prorsus rejicerent. Vel hoc plebeium iudiciũ Politicos nostros doceat, vt publicam honestatem ac multo magis pietatem, vtilitati seu publicæ seu priuatæ, anteponant. *Plutarch: in Aristide*

Sed ad nostra redeamus. Valentiniano iuniore imperãte, Symmachus Præfectus vrbis Romæ, homo ethnicus, potestatem sacrificandi, & idololatriæ liberum exercitium, petiit. Erant in Imperatoris Aula Politici, qui hoc tanto viro concedendũ

suaserunt. Sed S. Ambrosius Mediolanensis tunc Episcopus, quid Imperatori scripserit, audiamus. *Deo vero quisquis militat, & qui intimo colendum recipit affectu, non dissimulationem, non conniuentiam, sed fidei studium & deuotionis impendit. Ipsis gentilibus displicere consueuit, prauaricantis affectus. Liberè enim debet defendere vnusquisq; fidelem mentis suæ, & seruare propositum. Quod si aliqui nomine Christiani tale aliquid decernendum putant: mentem tuam nuda vocabula nō capiant, nomina cassa non fallant. Quisquis hoc facit, sacrificat idolis, & quisquis hoc statuit.* Hæc ille sanctus & clarissimus Ecclesiæ Doctor. Ecce idololatra est, qui idololatriam cōcedendam suadet. Hæreticus quoque est, qui aliquid hæreticis tribuendum sentit in sacrosanctæ

Lib. 5. Epistol: epist. 30.

fidei

fidei nostræ, præiudicium. Omnis hæresis non nisi per tales politicos, profecit. Ignauia & cessione Catholicorum vis & potentia creuit hæreticorum, vt D. Hieronymus suo tempore dixit: *Barbari fortes fiunt: nostris vitijs, Romanus superatur exercitus*, sic hodie nostris politiis, Catholicus superatur exercitus, Catholicæ franguntur vires, & vexatur Religio. Alia veterum fuit & piorum Imperatorum fortitudo ac pietas. Heraclio Imperium recenter adepto, & inducias à Persarum Rege (qui tota Syria Imperium spoliaverat) postulante; responderunt impii hostes, *nō prius se Romanis pacem daturos, quam Christū abnegasset Imperator.* Quo accepto respōso, adeo excanduit pius Imperator, & si maxi-

In epitaphio Nepotiani.

Baptista. Egnatius in Heraclio.

 mis

mis nuper cladib. acceptis, vt ingentibus copiis in hostem ductis, & amissa recuperaverit, & totam Persidem igni ferroq; vastaverit. Politici hodie nostri huic Principi à Cõsiliis si fuissent, Christi profecto abnegationem ad pacem publicam conseruandam, non egrè concessissent. Quid enim interest Christum abnegare, & vniversam eius fidem orthodoxam prodere & prostituere? Nobile sane hoc pietatis exemplum fuit, & Imperatore Christiano dignũ. Sed agebatur de capite, & totius Christianitatis iugulum petebatur. Nobilius erat Theodosii iunioris Imperatoris alioqui maxime pacifici, ac plenũ pietate pectus, qui ne Persas Christianos in grauissima persecutione ad eius

Socrates. lib. 7. c. 18 & Tripar: li. 11. c. 15

Im-

Imperii loca confugientes, Barbaro Persarũ Regi traderet, qui ita eos sibi reddi postulabat, vt ni id fieret, bellũ indiceret; cũ acerrimo hoste bello potius decernere & fœdus obrumpere, quam religionis causa profugos Tyrãno tradere, maluerit. Bellum itaque maximum eade causa concitatum est; in quo sæpe victis & fusis Persis à postulato desistere, coactus est. Hic optimus Princeps, si Politicus esse voluisset, quales hæc ætas Politicos videt, omnes Religionis causa exules & profugos ad primũ statim Tyranni postulatũ, reddere debuisset. Sed nec minimã voluit Christianæ Religioni quam profitebatur maculam inferre, aut eius defensionem in re vel minima, ad momẽtum deserere.

Nunc

Nunc verò alia consilia, hic orbis videt. Cætera fortiter & studiosè curãda sunt. Sola Religionis causa aut tepidè & molliter, aut non omnino, curanda. Pompeius in pugna pharsalica pro Rep: & patriæ libertate pugnans, Politicè tamẽ, tepidè & molliter agere volens, iam inter strepitus armorum clamat, *Parcite enim sanguini.* Cæsar ab altera parte pro sua gloria decertans, vociferatur. *Miles, faciem feri.* Sic fugato Pompeio, vicit Cæsar. Meliorem causam, vicit deterior; quia illa politicè & molliter, hæc Zelosè, & feruenter tractata est. Sic per nouos Politicos causa hodie agitur Ecclesiæ: imo nõ agitur, sed agitatur, & agitata deseritur, deserta subuertitur. Sinonis consilium dant, vt pacis causa, e-

Meliorem causã cur vincat peior.

Sinonis consilium.

quus

quus Grecorum armato milite plenus, quasi palladi sacrum Troiam introducatur, etiam mænib. disruptis. Sic enim per Ecclesiæ ruinas, hæreticos in Ecclesiam pacis ac religionis causa, intromittunt. Et vt olim C. Cæsar, Catilinæ coniuratione detecta, Senatui misericordiam suasit, quia & patricii viri participes eius erant; Sic isti hæresum iam turpitudine & impietate detecta, clementiam Principib. & Magistratib. suadent, quia magnos viros & loco honestiore natos ciues, his hæresibus implicatos, vident Sed si audiantur, non secus Ecclesiæ libertatem heretica tyrannis è medio tollet, quã Romanorũ libertatem sustulit Cæsar: cuius tunc Consilia non aliò spectabant? Popularem auram

C. Cæsaris consilium politicum

auram & patritiorum gratiã hoc suo consilio, captando.

Sed de horum hominum impietate, & quantæ Reip. Christianæ pestis sint, pro huius tẽporis breuitate, satis dictum est: pro rei indignitate, satis nunquam dici potest. Vnũ adiecero, finem faciam. Parricidii accusatũ, rectè defendit Orator maximus, *quod ante eius criminis suspicionem, vir bonus semper habitus fuerit*: & addit: *eum qui parricidij quempiam accusat, oportere eius qui in crimen vocatur, & audaciam singularem ostendere, & mores feros immanemq́ naturam, & vitam vitijs flagitijsq́ omnibus deditam & deniq́ omnia ad perniciẽ profligata atq́ perdita. Neq́ enim tale flagitium in alium cadere posse, quam cuius tota vita, scelere & maleficio contaminatissima est.* Politicos igitur con-

Cic. pro Roscio. Amerino.

tempta

temptæ & desertę proditæq; Religionis sanctißimæ conuictos, cui demum sceleri affines non esse, á quo flagitio temperare se posse, cui non crimini addictos & obnoxios esse, existimabimus? *Si enim pietas erga parentes, non sine graui scelere læditur, si magna vis humanitatis est, si multum valet communio sanguinis, si portentum atque monstrum certißimum est, esse aliquam humana specie & figura, qui tantum immanitate bestias vicerit, vt propter quos hanc suauißimam lucem aspexit, eos indignißime luce priuarit?* quantò magis, quantò verius, quãtò fortius, pietas erga Deũ non sine immani scelere violatur, nec violatur modo sed & despicitur, nec despicitur tãtũ sed vt abiectißimũ quiddam reb. omnib. postponitur? Magna est vis religionis, mul-

multum valet societas fidei, arctissimum est Christianæ charitatis vinculũ: portentum atq; mõstrum certissimum est, esse aliquem Christiani nominis, fide ac professione Christianũ, qui per cuius religionis sacramenta renatus est, & factus filius lucis, vocatus in admirabile lumen Dei; illam religionẽ indignissimè luce priuare, nefariè prodere, deserere, contemnere, vilissimo loco habere, non pertimescit.

Videamus nunc quod vltimo loco dicẽdum proposuimus, quibus illi technis & fucis (non enim argumenta dicam) hanc suam nouã politiam nostri temporis politici, defendant; ne inauditos se à nobis damnari, queritentur. Maior est (aiunt) hæreticorũ potentia, quàm

Politicorũ prætextus & obiecta.

vt in ordinem cogi queant: quare lenienda magis quàm exagitanda, videtur; consulendumq; magis securitati, quam vindictæ, & accuratè cõsiderandum potius, quid ab illis cauere, quam quid in illos quibus impares sumus, statuere debeamus. Non est igitur spes desperatione quęrenda, quum summa quiete animi leuiter agendo, concordi omnium commercio viuere posimus. Prudentes potius naucleros imitari oportet, qui tẽpestati cedendo, naufragium euadũt. Hæc illi, & inter alios Bodinus. Speciosa oratio, sed meretricia; certe mollis & fæminea, nec viro digna, nedum Christiano. *Quis enim spurius iste Philistæus et incircumcisus, qui exprobrauit acies Dei viuentis?* Qui isti sũt Allophyli & spu-

Bodin. de Repub. lib. 3. cap. 7.

1. Reg. 27.

rii hæretici, qui agmina Catholica ſuſtinere ſe poſſe, cõfidunt? Dicemus contra, qui Dei beneficio verè Catholici ſumus:
Prou. 21. *Non eſt conſilium, non eſt ſapientia, nõ eſt prudentia aduerſus Dominum.*
Matth. 16 *Portæ inferi non prævalebunt contra Eccleſiã Chriſti, ſuper Petro ædificatam*, multo minus hæreticorum Phalanges.
Vulcat. Gallus in Auidio Caſsio. Si cum Marco Aurelio, Antonino pio dicto, nos Catholici dicere non poſſumus; *Non ſic Deum colimus, nec ſic viuimus vt* hæretici *non vincant*; at certè cum Scriptura
Pſal. 19. dicere poſſumus: *Hi in curribus & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei noſtri, pugnabimus.*
1. Reg. 17. Cum Dauide dicemus. Vos hæretici *venitis ad nos cum gladio & haſta & clypeo*: in faſtu & ſuperbia. Nos autem Catholici venimus contra vos, *in nomine Domini exercituũ*, in

nomi-

nomine Iesu Christi, cuius Ecclesiā tenemus, cuius Sacramenta, cuius fidem integram, seruamus: quæ vos omnia perditißimi homines nefariè violâstis. Dicemus audacter cum Propheta. *Non est Dominus cum Israel & cunctis filiis Ephraim.* 2. Par. 25. Non est Deus cum schismaticis, cum hæreticis, qui quotidie blasphemant nomen eius. Dicemus denique cum fideli Ionatha: *Non est difficile Domino, saluare vel in multis vel in paucis.* 1. Reg. 14. Vbi autem Politicorū plena sunt omnia, & fides in Deū nulla, nihil mirum est, si fiat illis secundū fidem eorū. Alioqui quis nescit à parua Catholicorum manu, ingētes hæreticorū copias fusas, fugatasq; persæpe, extitisse? In recēti memoria est, Guisianorum fratrū cū paucis millib. An: 1587

 nobi-

nobilissima victoria, cæsis & abactis è Gallia quadraginta germanorũ hæreticorũ, millibus. Cæterum si nulla esset causæ imparitas, nulla ponenda in Deum fiducia; quis etiam illud non videt, singulari Dei beneficio maiores adhuc esse Catholicorum Principum vires, quàm sint hæreticorũ? Cuius hoc ego argumentum maximũ facio: Si potentiores illi essent, iam dudum Catholicorum Ecclesiæ, nullæ fuissent. Quod vt in Donatistis sui temporis notauit Augustinus, ita in Caluinistis nostri temporis, vero verius est. Ait enim illis. *Sæuire vos nolle dicitis. Ego non posse arbitror. Quando enim potuistis & non fecistis? Vnde ostenditis quod plura faceretis, si possetis:* Hæc ille. Sed Politicum istud est; hæreticorum

Epist. 48. & contra Petilianũ lib. 2. c. 83

corum

corum potentiam amplificare, vt ab illis impugnandis desistere nō ignauiæ sed prudentiæ, nec voluntati, sed necessitati, deputetur: quē inanissimum fucum iam satis abstersum puto.

Dicunt alii de rebus leniculis, hanc totam cum hæreticis cōtentionem esse, neq; opus esse rem armis trāsigi, quæ vel in ceremoniarū discrepantia, vel in subtilitatū disquisitione minus necessaria, tota consistat. Omnes quæ dicuntur hodie hæreses, Christum ac certam Religionem profiteri, & in hac professione ac Religione, saluum fieri vnumquemque posse. Quos ego homines aut nihil in religione intelligere, aut nullius religionis esse, dixerim. Itanè vero Ecclesiam vel Catholicā & ve-ram,

Cōtrouersia moderna de religione grauissima.

ram, vel hæreticam & falsam tenere, & sub Antichristo capite vel esse, vel non esse; res est leuicula? quum extra veram Ecclesiam, nullum esse salutis locum, omnib. etiam hodie hæreticis in confesso sit? Sacramentorũ vsus quorum hæretici maiorem partem abrogarunt, quæq; retinent, nefariè contaminarũt, ad rem religionis parum aut nihil facit? Sacrificio externo Deum colere vel non colere, & in eo sacrificio de idololatriæ horrendo & pudendo scelere, vel falso vel verè accusari, res exilis est? An ex sola fide salus comparetur, aut ad salutẽ bona opera necessariò, requirãtur, res est magis subtilis, quam cognitu necessaria? Taceo cætera, quæ propemodum infinita sunt, quia omnia dicendi hic

di hic, nec locus, nec tempus est. Quod autem dicitur, omnes hodie hæreses Christũ profiteri & certam Religionẽ esse, Id si ita est, vide quæso, vt in atheismi baratrum præcipitamur. Si enim omnis & quælibet hæresis Christianorum, Religio est, profectò è conuerso, omnis Christianorũ religio, hęresis est? Et sic rursũ nihil est hoc totum, quod vocatur Religio. Hæc est huius Neopolitæ analysis. Sane sicut olim ter impius Mahometes, ex variis hæresib. Nestorianorũ & Entychetistarũ, admixtis Iudaicis ritibus, suum conflauit Mahometismũ, & conscripsit Alcoranum; sic isti belli Politici, ex omnib. hodie sectis, admixta etiam Catholica veritate, nouũ nobis machinantur & parturiunt Atheismum. Sed

Atheismi Baratrũ.

Repliq. à la Remonstrance du Catholiq. Anglois. Pag. 191.

Sed ad alia. *Religio* (inquiunt) *ad humanæ societatis vinculum, inuenta & tradita est: Ergo propter illam, non est ad arma veniendum: ne dum pro illa pugnamus, eius primario vsu ac fine eam ac nos ipsos præposterè, spoliemus.* Sic ratiocinatur anonymus quidã Politicus, in Replica contra admonitionem Catholicã sub nomine Anglocatholici ad Gallocatholicos, eruditè & elegantissimè conscriptam. Sed hominis stuporem quis nõ videt? Si enim ad humanæ societatis vinculum inuenta Religio est (quamquam nec solus nec primarius ille si tamen vllus Religionis finis est; quæ ad Dei cultum & animarũ salutem cælitus nobis tradita est) sed si ille Religionis vllus finis esset, profectò quantò humana socie-

Ad pacem seruandã bellum necessarium.

tas-

tas bonum est excellentius & magis necessarium, tanto haud dubiè pro Religione quæ eam conseruat, fortius est decertandum. Alioqui quia Ciuitates ad pacem ciuium & societatem retinendam extractæ sunt, propter earum conservationem non est ad arma veniendum: sed vbi primum ad mœnia accedit hostis, ne pax ciuiũ perturbetur, aperiendæ confestim hostib. portæ sunt. Quis hunc Politicum helleboro aliquo ad purgandum cerebrum, indigere non videat? *Artic. 3.*

Dicunt alii. *Si Deus iustus & potens est, quæ eius sacrosanctam Religionem violant, ab ipso vindicanda, relinqui debent. Volet enim quia iustus est, & poterit, quia potens.* Sic Antignisartius quidam Politicus. Et quæ vox magis vel absurda vel blas-

phema efferri potuit: Iudæ-
Matt. 27. orum hæc vox fuit Christo Redemptori nostro in Cruce pendenti, insultantium. *Si filius Dei es, salua temet ipsum; descende de Cruce.* Et iterum, *Confidit in Deo, liberet nunc eum si vult.* Si enim isti Neopolitici laboranti Religioni & Ecclesiæ in Cruce positæ insultant impiè, dicentes, Papistæ isti confidunt in Deo. Causam Dei esse dicunt, Si ergo causa Dei est, liberet eos Deus si vult: Descendere eos de Cruce faciat, & ab hæresum vexatione, immunes reddat. Sed & hæc vox nonne atheismum vehementer redolet? Nam vt Iudæi sic in Christum crucifixum blasphemabant, quia eum esse verum Messiam non credebant; sic isti Politici sic in religionem Christianam sub

Deo soli religio cõmittenda non est.

cruc

Atheiſmus Politicorū

cruce poſitam, blaſphemāt, quia totam hanc religionē, nullam eſſe credunt. Deinde ſic apud ſe iſti boni athei, ratiocinātur, Si hæc Chriſtianorum Religio vera eſt & ex Deo, certè Deus eam ab hac vexatione, liberabit. Non liberat autem: ergo nihil eſt hoc totum, quod vocatur religio. Sic iterum atq; iterum ſuum nobis atheiſmū laruati iſti Chriſtiani & belli Politici, eructant. Alioqui quidni & cætera omnia maleficia, furta, homicidia, adulteria, diuinæ quæque vindictæ iſti belli Politici, relinquunt? Nam & contra hæc, iuſtus & potens Deus eſt.

Exempla Politicorū

Agunt poſtremò exemplis; quibus vbi ſatisfecero, finem dicendi faciam. Cyrus Rex ſapientiſsimus non ſolū Diis patriis & maiorum ſuo-

Xenophon libro 3. de Pædag.

Iosephus Antiq: lib. 11. cap. 8.

rum, immolauit, sed & hostium suorum Deos coluit, planeque nulli non Deo, sacrificium obtulit Alexander maximus ille Monarcha, quum Deorum cultor esset, Iudæos tamen diuersissimæ Religionis homines ingenti favore cōplexus est; legemque illis suam, ritus, ceremonias, intacta seruauit. Turcarum Princeps, Christianos populos in sua ditione tolerat, nec ferro & flamma excindendos putat, vtcumque nominis Christiani hostis ferocissimus. Philosophorum veterum contrariæ sententiæ per totam Græciam, Athenis maximè, salua interim & incolumi Repub. personabant, & nullo prohibente sectatores habebant. Quid, quod & Iudæorũ quũ variæ sectæ essent, Pharisæi,

Sadu-

Saducæi, Essæi, neutra tamen alteram persequebatur? Postremò, pagani omnes erga diuersæ religionis cultores, perpetua mansuetudine vsi sunt, quam & nos imitari par est. Docent hæc omnia. Florentissima olim Regna & Respub. amplissimas cum religionũ & sectarum varietate optimè constitisse, optimè etiam & hodie constare posse. Hæc omnia anonymus ille politicus, in Replica superius allegata. An non vero pulchra est hæc tota disputatio & Christiano homine, digna? Sed me reprimo. Istos enim Neopoliticos in Christianorũ numero minimè habendos esse, iam conclusum est. Alioqui si Christiani essent, & Christianam religionem, vnicam in terris verã ac san-

De vera religione. Cap. 5.

ctam esse crederent; si (vt pulchrè scribit S. Augustin:) *neq; in confusione paganorũ, neq; in purgamentis hæreticorum, neq; in languore scismaticorum, neq; in cæcitate Iudæorum quærendã esse religionem scirent, sed apud eos solos, qui Christiani Catholici vel orthodoxi, nominantur*, id est, integritatis custodes & recta sectantes; profectò nõ à paganis, à Turcis, & Iudæis, nõ à confusione, languore, cæcitate hominum toto cælo errantiũ, exempla peterent; nec quia apud illos cõfusio, horror & cæcitas fuit, propterea & in luce, ordine, atq; vnitate sanctissimæ sponsæ Dei, Ecclesiæ Christi, eadem tolerari posse, disputarent. Hæc enim omnia, ad Babylonicam illam & Diaboli ciuitatem, pertinent. Alia est Ciuitatis Dei forma, alius ordo,

ordo, alia vnitas, alia diuina lux & claritas, quæ tenebras secum admisceri, non patitur. *Quæ enim conuentio Christi ad Belial? aut quæ societas luci, ad tenebras? aut quæ participatio iustitiæ, cum iniquitate?* Et cum dicat Apostolus, *Nolite iugum ducere cum infidelibus*, iste bonus Politicus formam procurandæ religionis ab infidelib. nos petere, docet. Sed de hoc cōfusionis Babylonicæ & vnitatis Ecclesiasticæ lato discrimine disputantem S. Augustinū, atq; huic toti argumento satis facientem, audiamus. Quum varias philosophorū sectas & opiniones commemorasset, *has* (inquit) *& alias penè innumerabiles philosophorum dissensiones, quis vnquam populus, quis Senatus, vel dignitas publica, impiæ ciuitatis dijudicandas, & alias probandas ac re-*

2. Cor. 6.

De ciuit. Dei lib. 18 cap. 41.

ac recipiendas, alias improbandas repudiandasque, curauit; ac non passim sine vllo iudicio confuseq; habuit in gremio suo tot cōtrouersias hominum dissidentium non de agris & domibus, vel quacumque pecuniaria ratione sed de his rebus quibus aut misere viuitur, aut beatè? Vbi et si aliqua vera dicebantur, eadem liberaliter dicebantur & falsa prorsus, vt non frustra talis Ciuitas mysticum vocabulum Babylonis, acceperit. Babylon enim interpretatur, confusio. Nec interest Diaboli Regis eius, *quam contrariis inter se rixentur erroribus, quos meritò multa variaq; impietatis pariter possidet. At vero gens illa, ille populus, illa ciuitas, illa Respubl. illi Israelitæ, quibus credita sunt eloquia Dei, nullo modo Pseudoprophetas cum veris Prophetis, pari licentia confuderunt.* Hæc ille. Non ergo quia in Babylone paganorum confusio

rusio religionum tolerabatur, idem absurdum in vera Dei Ecclesia admittere, oportet. Imo hæc est veræ religionis nota certissima, vt alio in loco disputat Augustinus, *quod vnum Deum in vna Religione & fidei vnitate, arctissimè coniuncta colat*; ab omni secta, schismate, diuisione, nó secus quàm à certa totius religionis peste & pernicie, abhorrens. *Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma. Nec Deus diuisionis Deus est, sed pacis.* Nihil potuit absurdius ab istis Neo politicis proferri, quam hæc infidelium exempla, qui sectas aluerunt.

De vera Religione cap. 25.

Ephes. 4.

Nec si tamen per omnia quamlibet religionem promiscuè amplexi sunt, vt iste bonꝰ politicus, suadere vult. Notum est contra Phorenses à reliquis Græcis sacrum bel-

Pausanias lib. 10.

bellum gestum esse, propter spoliatum Apollinis Delphici templũ. Si puduit Romanos tot philosophãtium sectas in Græcia grassari, vt Lucius Gellius Procõsul Athenis quum esset, Philosophis in vnum conuocatis, author illis fuerit, controuersiis illis suis modũ aliquãdo vt imponerent; qua etiam in re suam illis & operam pollicetur, & authoritatem interponere, paratus fuit. Si Cyrus etiam hostium suorum quos vicerat, Deos coluit, tanto illi turpius, ac dedecorosius id erat: iuxta lepidum illud in simili semel apud Romanos errore, Catonis dicteriũ. Ridens enim eos, qui in triumpho Deos hostium Capitolio intulerunt, *vt quid* (inquit) *eos Deos colitis, qui suos cultores tueri nõ poterãt?* Deniq; si sa-

Cic. lib. 1. de legibus.

si sacerdotii iudaici dignitatem reueritus Alexander fauit Iudæis & Principes gentium ad suorum Deorũ cultum alias gentes non cõegerũt, quis nescit, quis ignorat, quis non meminit Euangelica prædicatione semel per orbem diuulgata, omnes in vniuersum gẽtes Romanos, Græcos, Iudæos, contra eam vnanimiter insurrexisse, & per omnes ætates ferro & flamma atq; innumeris tormẽtis, eos persecutos fuisse?

Vna vera religio ab omnib. falsis impugnatur.

Hoc vnum aduertere Politicos istos par erat, Omnia vitia contra vnam virtutem, omnia falsa contra vnã veritatem, omnes sectas contra vnam veram Religionẽ, perpetuò conspirare, Pharisæi, Saducæi, Herodiani, Romani, contra vnum Christum conspirârunt, vt eum tentarent,

rent, accuſarent, crucifigerent, poſt Reſurrectionem quoque, ex memoria hominum delerent, varii morbi, vnum corpus occupant, varia zizania, vnum agrum replent, varii fuci, vnum germanum colorem inficiunt, ſeque inuicem omnia compatiuntur. Sed vna ſanitas eſt quę à quouis morbo corrumpitur, vna bona ſeges, quæ à quouis zizanio impeditur; vna rei cuiuslibet germana ſpecies, quæ à quolibet falſo fuco, vitiatur. Sic vna eſt ſacroſancta Religio, qua vni vero Deo ſeruitur, quæ nullam falſitatem amplectitur, quum vanæ & falſi nominis Religiones ſeſe omnes amicè deoſculantur, & vt vnam veram exterminent, arctiſsimè conſpirant.

Turcicæ toleratio- Ad Principis Turcarum exem-

exemplum Politicum quod attinet, quæro ab isto bono Politico, in qua exempli parte seipsum constituat. An vt ille cum suis Hæreticos toleret, sicut Turca tolerat Christianos; an contra, vt sic ille cum suis ab hæreticis toleretur, sicut à Turca tolerantur Christiani? Si prius vult, nullam, certè illi hæretici gratiam referent, quorũ hic libertatem procurat; qui iugum & conditionem Christianorum sub Turca, intolerabilem esse seruitutem, non ignorant. Neque sub iugo Catholicorum vlli nostri temporis hæretici sic viuere vellent, vt sub iugo Turcarũ, viuunt Christiani, Imo libertatem illi flagitant prorsus liberrimam, & vt pari cum Catholicis loco habeantur, paribus priuilegiis pari honore,

nu exemplum.

nore, pari libertate, fruantur. Si posterius vult, nonne ille bonus Catholicus (talē enim se dicit iste Politicus) vobis Auditores videtur, qui nos omnes vellet sub iugo hæreticorū, durissimam seruire seruitutem, ne pax Reipub. vel ad momentum perturbetur? Et hoc oppinor magis isti politici vellēt; quia Catholicos se dicunt, sed vel hæretici vel athei, sunt.

Pharisæorum & Saducæorum permixtio

Pharisæorum & Saducæorū in Synagoga Iudaica permixtio, sub eius Status inclinatione accidit (alioqui nec Samaritanis coutebātur Iudæi, nec commercia gentiliū ferebant) quum iam sceptrū Iuda, ad alienigenam translatū esset: cuius etiam translationis causam hęc permixtio dedit. Saducæi enim in idem ius admissi cum Pharisæis.

Genebrard in Chron: ex lib. de reb. regū Israel templi secundi.

riſæis. Hircano Pontifice pulſo, cuius tamen opera in Sanedrim cooptati ſunt, ſoli dominari voluerũt. Quod quum efficere non poſſent, Hircano à Pompeio reſtituto, ad Herodem extremum imperium detulerunt. An volunt iſti Politici, vt permixtis nobiſcum hæreticis, Eccleſia quoq; Chriſti in his mundi partibus finem accipiat, ſicut ex ea permixtione, Synagoga? Id opinor: & hoc per eos Satanam moliri certiſsimè, mihi perſuadeo. Nam & Iulianus apoſtata ad totum Chriſtianiſmum extirpandum, non alio conſilio vſus eſt, quám vt ad Imperiũ euectus, omnes Chriſtianorum hæreſes, pariter cum ipſa Catholica, religionis ſuæ libertate frui, & Epiſcopales ſedes, in vrbib. occupare

Satanæ ſcopus ex Politicorũ opera.

Ammian: Marcell: hiſt: li:22. Socrat. li. 3. cap. 1.

cupare permitteret, vt ipse Ammianus Marcellinus homo ethnicus in sua nobis historia annotatum, reliquit. Eadem ante impii quidam Imperatores Zeno & Anastasius vsi sunt, vt vna Catholica religione pessundata, suas quas clanculum fouebant hæreses, propagarent. Quorum alterũ Symmachus Papa, his verbis egregiè redarguit. *Quid interest, vtrum Paganus, an (quod est deterius) sub nomine Christiano, verã sinceramq; traditionem Apostolicæ regulæ conetur infringere, atq; in hanc prorumpere cæcitatem, vt cum in illis regionibus, cunctæ prorsus hæreses opiniones suas habeant publicè licentiam profitendi: sola Catholicæ communionis libertas putetur ab his, qui se religiosos existimant, subruenda? Quæ si putatur error (quod non licet) cum cæteris quibus*

In libello Apologetico: aduersus Anastasium Imperat.

bus illic facultas est, agere finatur erroribus: sin integritas æstimatur, sequenda potius fuerat, quàm violenta persecutione, vastanda. Nihil ergo hactenus ab istis Neopoliticis ad nouam Politiam stabiliendam, nō modo firmum aut solidum, sed ne verisimile aut probabile allatum est: & sunt tamen hæc quæ protulimus validissima eorum atq; præcipua fundamenta.

Quæ quum ita sint, illis sanè meliorem mentem, & verum tandem pietatis sensū ex animo exopto. In hac autem sua execranda Neapolitia si persistunt, & Ecclesiam Christi Catholicam simulatione sua perdere ac prodere, partumque parturientem perpetuò præpedire porro pergunt; hoc hominum genus ab omni Re-

publ. & ſocietate Chriſtiana, tanquam hoſtes eius maximè infenſos ſtudioſé cauendos, & ſi opus fuerit abarcendos, omnique loco & authoritate dejiciendos, cenſeo.

FINIS.





[...]po, ut 7 idipsum dicatis omnes, 7 non sint
in vobis scismata. sitis autem perfecti, eadem
sensu 7 in eadem scientia. Significatum est enim
mihi de vobis fratres mei ab hiis qui sunt
Cloes quia contentiones sunt inter vos
Hoc autem dico quod unusquisque vestrum
dicit ego quidem sum pauli. ego autem
Apollo. ~~divisus est xpistus~~. ego vero cephe.
ego autem xpisti. Divisus est xpistus. Numquid
paulus crucifixus est pro vobis, aut
in nomine pauli baptizati estis. Baptizavi
autem 7 stephane domum ceterum nescio
si quem alium baptizaverim. Non enim
misit me xpistus baptizare sed ewangelizare.
non in sapientia verbi. ut non evacuetur crux
xpisti. Verbum enim crucis pereuntibus quidem
stultitia est. hiis autem qui sal[...]
id est nobis virtus est dei. [...]
perdam sapientiam sapien[...]
dentiam prudentium reprobab[...]
venissem ad vos fratres. veni [...]
limitate sermonis aut sap[...]
vobis testimonium. non enim i[...]
re aliquid inter vos. nisi ihesum xpistum
et hunc crucifixum. Et ego in infirmitate